

*Frater tuus hic mortuus erat et revixit.*

✠ Lécctio sancti Evangélii  
secúndum Lucam

15, 1-3. 11-32

In illo témpore:

- <sup>1</sup> Erant appropinquántes Iesu omnes publicáni et peccatóres, ut audírent illum.  
<sup>2</sup> Et murmurábant pharisæi et scribæ dicéntes: «Hic peccatóres récipit et mandúcat cum illis».  
<sup>3</sup> Et ait ad illos parábolam istam dicens:

[4-11 a]

- <sup>11 b</sup> «Homo quidam habébat duos fílios.  
<sup>12</sup> Et dixit adulescéntior ex illis patri: “Pater, da mihi portiónem substántiæ, quæ me contíngit”. Et divisit illis substántiam.  
<sup>13</sup> Et non post multos dies, congregátis ómnibus, adulescéntior fílius péregre proféctus est in regiónem longínquam et ibi dissipávit substántiam suam vivéndo luxurióse.  
<sup>14</sup> Et postquam ómnia consummáset, facta est fames válida in regióne illa, et ipse cœpit egére.  
<sup>15</sup> Et ábiit et adhæsit uni cívium regiónis illíus, et misit illum in villam suam, ut pásceret porcos;  
<sup>16</sup> et cupiébat saturári de síliquis, quas porci manducábant, et nemo illi dabat.  
<sup>17</sup> In se autem revérsus dixit: “Quanti mercennárii patris mei abúndant pánibus, ego autem hic fame péreo.  
<sup>18</sup> Surgam et ibo ad patrem meum et dicam illi:

Pater, peccávi in cælum et coram te  
<sup>19</sup> et iam non sum dignus vocári fílius tuus;  
fac me sicut unum de mercennáriis tuis”.

<sup>20</sup> Et surgens venit ad patrem suum.

Cum autem adhuc longe esset,  
vidit illum pater ipsíus  
et misericórdia motus est  
et accúrrens cécidit supra collum eius  
et osculátus est illum.

<sup>21</sup> Dixítque ei fílius:

“Pater, peccávi in cælum et coram te;  
iam non sum dignus vocári fílius tuus”.

<sup>22</sup> Dixit autem pater ad servos suos:

“Cito proférte stolam primam et indúite illum  
et date ánulum in manum eius  
et calceaménta in pedes

<sup>23</sup> et addúcite vítulum saginátum,

occídite et manducémus et epulémur,

<sup>24</sup> quia hic fílius meus mórtuus erat et revíxit,  
períerat et invéntus est”.

Et cœpérunt epulári.

<sup>25</sup> Erat autem fílius eius sénior in agro  
et, cum veníret et appropinquáret dómui,  
audívit symphóniam et choros,

<sup>26</sup> et vocávit unum de servis

et interrogávit quæ hæc essent.

<sup>27</sup> Isque dixit illi:

“Frater tuus venit,

et occídit pater tuus vítulum saginátum,  
quia salvum illum recépit”.

<sup>28</sup> Indignátus est autem et nolébat introíre.

Pater ergo illíus egréssus cœpit rogáre illum.

<sup>29</sup> At ille respóndens dixit patri suo:

“Ecce tot annis sérvio tibi

et numquam mandátum tuum prætérii,

et numquam dedisti mihi hædum,  
ut cum amicis meis epulärer,  
<sup>30</sup> sed postquam filius tuus hic,  
qui devoravit substantiam tuam cum meretricibus,  
venit,  
occidisti illi vitulum saginatum”.

<sup>31</sup> At ipse dixit illi:  
“Fili, tu semper mecum es,  
et omnia mea tua sunt;

<sup>32</sup> epulári autem et gaudére oportébat,  
quia frater tuus hic mórtuus erat et revíxit  
perierat et invéntus est”».

Verbum Dómini.